



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio IV. Proprietatis beatitudinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

quentiam. Ad secundum quoque similiter disting. antecedens : voluntas est nobilior secundum quid & quatenus in genere causæ efficiens alias potentias applicans concedo : specialiter nego. Nam ut voluntas secundum suam libertatem, subordinetur intellectui tanquam dirigenti & radicaliter libero, iste tanquam superior & director voluntatis specialiter est nobilior. Ad tertium disting. maj. quod ordinatur ad aliud seu medium intrinsecum ad finem, est minus nobile, concedo, seu essentia ad proportionem nego. Sed visio ordinatur ad amorem ut essentia ad proportionem concedo : ut medium ad finem, nego minorem & consequentiam. Ad quartum respondeo. Ista denotationes Seraphini & Cherubini tribui non ab amore & cognitione patris, sed ab amore & cognitione viæ ; ubi verum est quod amor sit perfectior, quam obsecra cognitio viæ. Ad quintum. Nego minorem. Nam homo specialiter desiderat, & DEUS ab ipso petit desiderari vitam æternam, non physicè secundum suam essentialem & primariam rationem, sed ut est in se, & secundum suam adequatam integritatem, & ut sic primario rationem, secundario includit charitatem.

## §. VI.

## Corollaria.

Colliges ex dictis primò. Quod si homo non fuisset elevatus in finem supernaturalem, ipso formalis beatitudo naturalis consisteret in solâ contemplatione DEI quâ auctoris naturæ. Ratio est : quia beatitudo formalis est

actualis consecutio finis ultimi, ex quâ aliæ operationes naturæ rationalis perfectivæ dimanant ; sed consecutio DEI ut ultimi finis in statu naturæ non elevatæ in finem supernaturalem alia non esset, quàm perfectissima cognitio & contemplatio DEI seu primi intelligibilis & Authoris naturæ, ex quâ consequeretur connaturaliter amor ipsius : ergo beatitudo naturalis consistit in naturali & purissimâ contemplatione Deitatis. Minor ex dictis constat, quia primum intelligibile non alio actu consequimur, quàm quo illud facimus nobis intelligibiliter præsens ; sed hoc non aliter fit, quàm per actum intellectus. Ergo.

Colligas secundò. Beatitudinem hujus viæ apud Matth. c. 5. octo gradibus distinctam, esse beatitudinem in spe, ut habet S. Doctor. 1. 2. q. 69. a. 1. & magis in sensu causali, per modum causæ & meritû, quàm in sensu formali. Præter quam tamen beatitudinem datur in hac vitâ quædam participatio & inchoatio futuræ beatitudinis, quasi formalis, & hæc consistit in actu divinæ contemplationis, ut habet idem S. D. in 2. 2. q. 8. a. 4. quo intellectus prævio charitatis impulsu raptus & per donum sapientiæ elevatus intendit in imaginem divinæ bonitatis (non intuitam sed abstractam) quatenus super omnia appetiabilis. Quæ altissima contemplatio perfectorum propria, & nobilissima unio animæ cum DEO, quæ haberi potest in hac vitâ, est quidam prægustus æternæ gloriæ, possessio divinitatis, & ut inquit cit. S. D. quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, ut in futuro continetur.

## DISPUTATIO IV.

## DE

## Proprietatibus beatitudinis.

Consideratâ beatitudinis essentiâ, nunc illius consecutanea & parerga inspicimus. Ea sunt vel necessariò connexa, vel in ornatum adjuncta. Primi generis sunt necessitas & inamissibilitas. Secundi generis sunt dotes animæ & corporis, ac demum aureolæ. Nunc de singulis singillatim.

## ARTICULUS I.

## Quâ necessitate Beati DEUM ament ?

## SUMMARI A.

1. Status quæstionis de necessitate exercitii.

2. Defenditur necessitas exercitii.

3. Expenditur Locus Doct. Angelici.

4. Non potest Beato imponi præceptum descendendi ab amore beatifico.

5. Necessitas non variat speciem actus.

6. Quandoam diversitas applicationis inducat diversitatem objecti ?

7. Quomodo actus amoris in Christo fuerit liber ?

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

8. Necessitas reperitur tam in amore concupiscentiæ, quam benevolentie.

## §. I.

Assumitur necessitas tam exercitii, quàm specificationis.

Consequitur clarâ DEI visionem amor suavissimus. Sicut enim DEUS in illa beatitudine (teste D. Augustino l. ult. de civit. cap. ult.) sine fine videbitur, ita sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.

D 2

In

*In sacula saculorum laudabunt te.* Inquit Psalmista Ps. 83. Sed an etiam necessariò? Duplex in nostrâ voluntatis actibus necessitas distinguitur: una, quæ vocatur specificacionis; quando voluntas potest quidem actum circa tale objectum suspendere; posito tamen, quòd in actum prodire velit, non potest non actum talis speciei elicere: quo modo voluntas viatoris licet non sit occupata in jugi exercitio amandi beatitudinem in communi, si tamen circa illam versari velit, non potest non amare, ideoque est necessitata quoad specificacionem.

2. Altera est necessitas exercitii, quâ voluntas arcetur, ut ne quidem actum possit suspendere, vel ab eo desistere. Beatorum voluntatem quoad specificacionem necessitari ad amandum DEUM facillè consentiunt Theologi: quæ enim umbra mali posset apparere in clarâ visione Summi & infiniti Boni, ut voluntatem Beati ab amore transferret in odium? Restat igitur sola quaestio de libertate exercitii, ubi Scotistæ libertati, Thomistæ ex opposito favent favorabili & felicissimæ necessitati amandi DEUM.

CONCLUSIO. *Beati sunt necessitati ad amandum D & U M etiam necessitate exercitii.*

*Ratio est, sublatâ potentia suspendendi exercitium amoris, inducitur necessitas exercitii; sed per clarâ DEI visionem aufertur potentia suspendendi exercitium amoris: ergò per illam inducitur necessitas exercitii. Minor probatur. Potentia suspendendi vel omittendi actum amoris fundatur essentialiter in indifferenti propositione, quâ & ipsum exercitium amandi sub aliqua ratione molesti, ejusque intermissio sub aliqua ratione optabilis representatur: sed est impossibile, ut clara DEI visio, quâ Beatus suam summam, æternamque beatitudinem in hoc ipso exercitio consistere perspicuè videt & judicat, tali indifferenti propositione exercitium DEUM amandi sub ratione molesti erroneè representet: Cum enim ad fontem vitæ devenimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul & satietas; sed longè aberit à siti necessitas, longè à satietate fastidium, quia sitientes saturabimur, & saturi sciemus. Teste D. Gregorio in moral. Ergò est impossibile, ut Beatus habeat potentiam suspendendi actum & exercitium amoris.*

*Confirm.* Quando totaliter expletur & adequatur potentia ab objecto, tunc non manet in illâ facultas resistendi, aut ad aliquid divertendi: In eo quippe liberi agentis operatio à necessarii agentis operandi modo discernitur, quòd istius vis & potentia operandi ita adequatur ab objecto proposito, ut non sit in manu ipsius, illud respuere, aut in oppositum divertere, dum e contra liberi agentis facultas non ita adequatur & subigitur ab objecto proposito: sed ab essentia Divina clarè visa totaliter expletur potentia Beati: nam objectum voluntatis adequatum est bonum. DEUS autem clarè visus est omne bonum, & ut sic cognitum, unde dictum Exod. 33. Ego ostendam tibi omne bonum. Ergò.

✻ (o) ✻

**O**bjicies primò authoritatem D. Thomæ, infra q. 10. a. 2. in c. dicentis, quòd voluntas quantum ad exercitium à nullo objecto necessitate movetur.

**R**espond. Sermonem S. D. esse de objecto creato vel increato, tantum abstractivè, non autem intuitivè cognito, uti colligitur ex adjuncta ratione: Quia, inquit, cogitationem à tali objecto avertere possumus, quòd Beati tamen non possunt.

**O**bjicies secundò. Posset Beato imponi præceptum desistendi ab amore; ergò tunc Beatus posset liberè cessare ab amore, quia materia præcepti debet esse libera.

**D**ico. Adversariis incumbere probationem possibilitatis istius præcepti, hoc ipso quippe quòd negatur libertas actus, etiam negatur illius contentibilitas sub præcepto: unde hæc possibilitas ad probandam libertatem non rectè assumitur. Ratio ulterior, cur tale præceptum sit impossibile, est primò; quia implicat à DEO prohiberi & effici moraliter objectivè malum, quòd per essentiam est supernaturaliter & moraliter bonum, ac honestum, sed amor beatitudinis DEI super omnia est per essentiam supernaturalis & honestus, ergò. *Secundò*, quia sequeretur, quòd quis posset amando DEUM peccare, quòd non modò absurdum, sed & ridiculum est, nempe averti à DEO, dum in ipsum efficaciter ut in ultimum finem convertitur; habere contemptui, cum super omnia appetat; ostendere dum diligit.

**O**bjicies tertio. Idem specie est actus charitatis in viâ, qui est in patria; ergò sicut illud non inducit necessitatem, ita nec iste.

**R**espondetur primò. Inde nimis probari, quia probatur, quòd amor patriæ etiam debet esse liber quoad specificacionem, cum tali modo charitas viatorum sit libera. Respondetur secundò ad 3. nego consequent, quia libertas & necessitas non pertinent ad speciem actus.

**O**bjicies quarto. Diversas applicationes non causat diversitatem objecti, sed fides & visio tantum sunt diversæ applicationes ejusdem objecti, nempe DEI ut Summi Boni; ergò non causant diversitatem objecti: ergo sicuti DEUS liberè est volitus & amatus in viâ, sic etiam erit liberè amatus in patria.

**R**espondeo distinguendo majorem. Diversitas applicationis non causat diversitatem objecti, in agente habente eundem modum operandi, concedo; in agente habente duplicem modum operandi, liberum & necessarium, nego: tunc enim diversa applicatio objecti facit, quòd objectum, antea cum indifferentiâ representatum, non amplius cum indifferentiâ iudicii representetur, adeoque actum liberum terminare non possit.

**O**bjic. quinto. Amor Christi D. quamvis regulatus scientiâ visionis, fuit liber quoad exercitium, quia fuit meritorius; ergò etiam amor beatorum potest esse liber quoad exercitium.

Respon-

Respondet, quod actus charitatis in Christo fuerit liber & meritorius, non quatenus regulatur per lumen gloriæ, & scientiam visionis; sed quatenus regulatur lumine scientiæ infusæ: prout suo loco dicitur.

Inferes ex dictis. Necessitatem amandi Deum

in Beatis non tantum esse quoad amorem benevolentiae, sed etiam quoad amorem concupiscentiæ; Siquidem exercitium amandi DEUM; etiam ut suam beatitudinem; absque ulla admixtione molestiæ; & consequenter absque indifferentiâ Beatis repræsentatur.

## ARTICULUS II.

## An Beati sint ab intrinseco impeccabiles?

## SUMMARIUM.

1. Beati de potentiâ ordinariâ sunt impeccabiles.
2. Varietas sententiarum de potentiâ absolutâ.
3. Beatitudinis status ab intrinseco excludit proximam peccandi potentiâ ratione summae felicitatis.
4. Inamissibilitatis.
5. Securitatibus ab omni panâ, & impossibilitate cum amissione finis ultimi.
6. Visio beatifica ab intrinseco causaliter excludit omne peccatum mortale.
7. Etiam veniale.
8. Non tantum actuale, sed etiam habituale.
9. Visio beatifica etiam formaliter excludit peccatum mortale.
10. Imò & veniale.
11. Quod extenditur etiam ad visionem transeuntem.
12. Visio beatifica formaliter excludit potentiâ peccandi.
13. Disparitas, cur tristitia componi possit cum visione, non autem peccatum.
14. Exponitur modus oppositionis inter visionem & peccatum.
15. Ratio disparitatis: cur auxilium actuale non tollat potentiâ peccandi, tollat verò visio.
16. Ad visionem essentialiter requiritur gratia sanctificans.
17. Compositio libertatis cum impeccabilitate.

## S. I.

## Astruitur sententia Thomistica.

1. Certum est, Beatos de facto nec peccare, nec secundum viam & potentiâ ordinariâ posse peccare, prout habetur tum ex Apoc. 21. Non intrabit in eam (civitatem celestem) aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium. It. 35. Via sancta vocabitur, & non transibit per eam pollutus. Hebr. 12. Pacem sequimini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit DEUM, tum ex communi doctrinâ Catholicâ, quæ purgatorium adstruit, quo residua post hanc vitam peccatorum macula deleantur, ut animæ possint in cælum recipi. Tum ex ratione S. D. petita & communi ratione beatitudinis. Beatitudo includit rectitudinem voluntatis, sed rectitudo voluntatis excludit omne peccatum: ergo etiam beatitudo excludit omne peccatum. Major inde constat, quia beatitudo est consecutio Summi Boni, & unio creaturæ rationalis cum ultimo fine, sed ista includit rectitudinem voluntatis, sine qua creatura rationalis esset deordinata ab ultimo fine. Min. pariter constat: Ex eo voluntas est & dicitur recta, quod quicquid amat, illud amat sub ordine ad debitum ultimum

finem: sed amare viam sub ordine ad verum finem ultimum, non stat cum peccato, quod essentialiter est deordinatio & aversio à debito fine ultimo: ergo rectitudo voluntatis non stat cum peccato. Quæstio superest, an ipsa exclusio peccati sit tanta, ut ab intrinseco etiam de potentiâ absoluta excludat omne peccatum actuale, vel habituale, vel etiam potentiâ ipsam peccandi.

2. Circa quam quæstionem triplex potissimè est authorum sententia. Prima docet, Beatos extrinseco DEI favore, ipsos ad sui amorem perenniter excitantis, non autem ex intrinsecis principiis reddi simpliciter & proximè impeccabiles. Ita Scotus in 1. dist. 1. q. 4. & dist. 49. q. 6. Secunda docet, Beatos etiam ab intrinseco esse impeccabiles, cujus tamen causa non sit ipsa visio, sed amor fructivus subsequens visionem; ita ut sublato illo amore posset peccatum cum visione componi. Hanc tenet Agidius de present. & tribuitur Capreolo, & Soto. Tertia docet, Beatos esse ab intrinseco simpliciter impeccabiles potentiâ tam proximâ, quàm remotâ, ex naturâ ipsiusmet visionis non tantum radicaliter, sed etiam formaliter repugnantis cum omni peccato tam actuâli, quàm habituali, tam mortali, quàm veniali, tam in sensu composito, quàm diviso visionis. Ita B. Thom. 3. contr. Gent. c. 62. & hic q. 4. a. 4. quem præter ejus Discipulos ex Rec. sequitur Suar. disp. 10. solut. 1. n. 9. Lorca, Martinez, alijque.

3. CONCLUSIO prima. Beati sunt proximè impeccabiles ab intrinseco & ex naturâ beatitudinis. Ratio est primò, Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione completus; ac proinde quemadmodum ab intrinseco affert omnem felicitatem, & omne bonum, ita proscribit omnem miseriam, & omne malum: sed quis nescit, peccatum esse magnum imò maximum malum, miseriam & infelicitatem, cum etiam D. Augustino teste, nihil sit infelicitius felicitate peccandi: ergo Beati ex ipsius beatifici status intrinsecâ exigentiâ excludunt proximam peccandi potentiâ: proximam, inquam; nam remota cum nil aliud sit, quàm naturalis defectibilitas, in operando consequens naturam creatam ex nihilo, adeoque defectibilem in essendo, per statum beatificum minimè tollitur. Quæ ratio non tantum probat repugnantiam peccati actualis, sed etiam habituales, nec tantum mortales, sed etiam veniales; cum non minus habituale & veniale, quàm actuale & mortale peccatum sit magnum malum, & magna miseria.

4. Secundò, Beatitudo est ab intrinseco inamissibilis, ut sequenti articulo ostendemus: ergo ab

ab intrinseco excludit omne id, per quod amitti potest: sed admissa possibilitate peccandi potest amitti beatitudo: ergo beatitudo ab intrinseco excludit possibilitatem peccandi. Subsumptum constat: quia admissa rectitudine voluntatis & perfectâ felicitate, quam beatitudo includit, eandem quoque amitti necesse est: sed per peccatum tanquam summam miseriam & voluntatis perversionem amittitur felicitas & rectitudo voluntatis: ergo.

Tertiò. Beatitudo ab intrinseco excludit omnem pœnæ metum: ergo & omnem culpam: nam reatus pœnæ presso pede culpam consequitur, unde si culpa cum statu beatifico componi potest, beatitudo ab intrinseco neque culpæ, neque pœnæ metum auferret.

Quartò. specialiter probatur de peccato mortali. Implicat simul consistere ejusdem ultimi finis adeptionem & amissionem: sed beatitudo formalis, ut dictum est, ultimi finis adeptio: peccatum verò mortale est ipsius amissio: ergo implicat simul consistere peccatum mortale cum formali beatitudine.

**CONCLUSIO** secunda. *Visio beatifica non tantum radicaliter & causaliter, in quantum fundat amorem fructivum, ab intrinseco excludit omne peccatum actuale, & habituale, tam mortale, quam veniale, sed etiam formaliter.*

Prima pars de radicali & causali repugnantia cum omni peccato mortali facile ostenditur: Amor beatificus intrinsecè & essentialiter excludit omne peccatum, tanquam formalis amicitia formam odibilitatis, tanquam vita mortem spirituales, tanquam concursio efficax averfionem, & directe quidem excludit peccatum actuale, indirectè verò habituale seu necessariam sequelam alterius terminativè voluntariam, ut suo loco dicitur: Sed visio beatifica ab intrinseco necessitat ad ejusmodi amorem tam quoad specificationem quam quoad exercitium juxta dicta precedenti articulo. Ergo etiam ab intrinseco necessitat radicaliter & mediatè ad exclusionem peccati.

Confirmatur Primò. Implicat gratiam sanctificantem consistere cum peccato mortali tam habituali quam actuali: Sed actus charitatis inseparabiliter conjungitur cum gratiâ sanctificantem: ergo nequit consistere cum peccato tam actuali, quam habituali.

Confirmatur secundò. Implicat voluntatem efficaciter converti in duos fines simpliciter ultimos: sed si unâ cum actu charitatis consisteret peccatum mortale sive actuale, sive habituale, converteretur voluntas efficaciter in duos fines simpliciter ultimos. Ergo.

7. Secunda pars de repugnantia causali visionis cum omni peccato veniale pariter probatur: Omne peccatum veniale includit inordinatum affectum ad creaturas, sed visio beatifica per amorem fructivum excludit omnem inordinatum affectum ad creaturas, siquidem per visionem beatificam necessitatur voluntas ad DEUM in exercitio super omnia perpetuò diligendum, & (ut loquitur S. Doctor) omnia alia sub ordine ad ipsum, sed implicat aliqua diligi in ordinatè, & tamen diligi sub ordine ad DEUM.

Neque existimes hinc tantum probari repugnantiam cum peccato veniale actuali, non item cum habituali, seu macula per peccatum veniale relicta. Contra enim est, quòd macula peccati venialis juxta ea, quæ dicemus in Traç. de peccatis, formaliter consistit in privatione extensivi fervoris charitatis, quâ nempe habitus charitatis propter inordinatam adhesionem ad res creatas à peccatis venialibus relictam circa illorum objecta est minus expeditus ad eliciendos vel impendendos actus virtuosos. Sed ista privatio extensivi fervoris repugnat cum beatificâ visione: ergo. Min. probatur. Nam visio beatifica sicuti representat DEUM ut Summum Bonum super omnia appetibile, ita etiam determinat voluntatem ad omnia alia &c. DEUM amandum propter DEUM, sive ut loquitur S. Doctor sub ordine istius summi finis: Atqui ista determinatio formaliter excludit omne impedimentum inordinatæ adhesionis ad res creatas, adeoque omnem extensivam tepiditatem charitatis.

Tertia pars est, quòd visio beatifica etiam præscindendo ab amore formaliter excludit omne peccatum. Ita sentit Isidorus lib. 1. de summo bono c. 12. dicens: *Quamvis Beati sui maiestatis naturâ, non tamen sinit eos contemplatio mutari divina.* Et Anselmus noster de casu diab. c. 7. *Angeli boni sunt adepti quidquid potuerunt velle, nec plus vident, quam plus velle possunt, & idèo peccare non possunt.* Ratio de peccato mortali est primò, quòd implicet, adeptionem & possessionem ultimi finis simul consistere cum ejus amissione: sed visio beatifica formaliter est ultimi finis adeptio & possessio: ex opposito peccatum mortale est essentialiter ejus amissio: ergo visio beatifica formaliter excludit omne peccatum mortale.

Ratio est secundò, quòd peccatum mortale sit mors animæ causaliter, si est actuale; formaliter si est habituale, visio verò beatifica *vita eterna.* Illud extinguit omnem supernaturalem Dei similitudinem; ista efficit simillimum ac penè divinum: *cum enim apparuerit, similes ei erunt, quoniam videbimus eum, sicuti est;* illud includat distortam voluntatis inclinationem in bonum creatum & amorem sui, hæc radicaliter contineat & essentialiter inclinet in ordinatissimum amorem DEI. Illud evertit totum ordinem supernaturalem gratiæ & charitatis; illa essentialiter pertineat ad ordinem supernaturalem ac præsuppositivè includat gratiam sanctificantem: unde etiam vocatur gratia consummata: nam assimilatio creaturæ rationalis cum DEO, & participatio secundum perfectissimam operationem vitæ intelligibilis, non tantum essentialiter præsupponit participationem virtutis proximæ intellectivæ sed etiam radicalis, quæ est gratia sanctificans. Sed per visionem creaturæ rationalis DEO assimilatur secundum perfectissimam operationem vitæ supernaturaliter intellectualis. Ergo.

Ratio est tertio, quòd sit impossibile, ut Deus hominem admittat ad visionem suæ essentia, quin ipsum diligat, sicut eidem peccatus: nam primò si divinæ suæ amicitia argumentum Christus posuit Divinorum mysteriorum communicationem,

tionem. Joana. 15. *Jam vos dixi amicos, quia quacunq[ue] audivi à patre meo, nota feci vobis.* Quanto maius argumentum amicitia est manifestare seipsum, intimamque essentiam inspiciendam non tantum offerre, sed intellectui videlicet intelligibili unione conjungere? *Secundum.*

DEUS diligit justum effectivè, ipsi communicando jus ad hereditatem; ergo etiam tribuendo ipsam hereditatem visionis aeternae. *Tertio:* est visio non sit ipsa forma amicitiae & charitatis, tamen illam radicaliter continet, & ita voluntatem reddit inclinamam, & dispositam ad amandum DEUM, ut sine miraculo extraordinariae potentiae voluntas ab amore diverti non possit; sed ejusmodi amor radicalis non stat sine dilectione DEI. DEUS enim diligentes se diligit, & prior diligit. Jam verò DEUS diligit respiciendo bonitatem h. e. gratiam gratum facientem & destructivam omnis peccati habitus: ergo hoc ipso, quòd homo etiam constitutus in peccato admitteretur ad visionem Divinae essentiae, destrueretur omnis macula peccati habitus.

Ratio est quartò, universaliter probans de omni peccato etiam veniali: Omne peccatum includit practicum errorem, & defectuosum dictamen rationis, ut suppono ex Tract. de pecc. Sed visio beatifica formaliter excludit omnem errorem practicum & dictamen defectuosum, ac practicum insonem alicujus objecti inordinabilis in DEUM; siquidem est per essentiam infalsificabilis, & formaliter determinat voluntatem ad DEUM super omnia perpetuò diligendum, & omnia propter ipsum.

Ratio est quintò. Quòd si visio per absolutam potentiam stare cum peccato, deberet DEUS miraculosè conservare peccatum, sicque conservatio (quòd tamen nec in fieri, nec in conservari potest dependere à DEO) ipsi ut auctori specialiter adhiberetur, quod est absurdissimum.

Inferes ex dictis, etiam visionem tantummodo transeuntes communicatam, repugnare cum omni peccato tam actuali, quàm habituali: nam & ista, cum representet DEUM ut Summum Bonum, hic & nunc practice amabile super omnia, sitque efficax consecutio finis ultimi, adeò est mediata, & virtualis retractio omnis cujuscuq[ue] peccati: neque, ut dictum, potest absque gratià homini communicari.

Neque obstat, quòd juxta doctrinam D. Th. visio transiens non destruat habituale donum fidei: nam habitus fidei, cum sit entitas positiva, non destruitur nisi per habitum positivum, aut actum inductivum habitus oppositi, qualis non est lumen & visio transiens: at verò habituale peccatum, ut dicemus in *Disp. de vit. & pec.* est moralis & voluntaria privatio gratiae, quam visio, seu virtualis & radicalis retractio peccati, essentialiter supponens gratiam sanctificantem, mediatè saltem expellit.

CONCLUSIO tertia. *Visio beatifica formaliter ab intrinseco excludit proximam potentiam peccandi.*

Ratio est potentia proxima peccandi essentialiter fundatur in indifferentia iudicii proponentis

aliquod objectum amabile etiam neglecto ordine debiti finis ultimi: sed visio beatifica essentialiter repugnat cum tali indifferentia iudicii, Ergò. Majorem suppono ex dicendis de libertate. Min. probatur ex sup. art. quia clara DEI visio DEUM representat & iudicat Summum Bonum etiam in exercitio super omnia amabile, & quidquid attingit, attingit sub ordine ad istum ultimum finem: sed ejusmodi iudicium excludit praedictam indifferentiam ergò.

Confirmatur ex haecenus dictis. Ubi est intrinseca repugnantia peccandi, ibi non est proxima potentia peccandi; sed visio beatifica affert intrinsecam repugnantiam peccandi, ergò tollit proximam potentiam peccandi.

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

Obijcies primò. Quamvis actualis tristitia repugnet cum statu beatifico, tamen per absolutam potentiam fuit conjuncta in Entitate Christi, ergò tamen per se repugnet actuale peccatum cum statu beatifico, tamen per absolutam DEI potentiam conjungi poterit.

Respond. nego consequentiam: quia dolor & tristitia repugnant beatitudini integrali in aliqua sua perfectione accidentali: peccatum verò repugnat beatitudini formali & essentiali, quatenus est inamissibilis adeptio Summi Boni eundem representans & iudicans amabilem appetitativè super omnia.

Obijcies secundò. Si visio non posset per absolutam potentiam conjungi cum peccato: tunc esset inter utrumque oppositio: sed non est: ergò. Min. probatur. Nam primò visio & peccatum sunt in diversis subiectis, visio nimirum in intellectu; & peccatum, si sit actuale, in voluntate; si habituale, in ipsa substantia animae. Secundò peccato tanquam privationi gratiae non opponitur nisi gratia sanctificans; ergò si DEUS elevans hominem in peccato existentem ad beatificam visionem nollet infundere gratiam sanctificantem, remaneret in peccato habituali: privationes verò non destruerentur nisi per formam oppositam.

Respond. nego min. & ad 1. probationem distingo antecedens. Sunt in diversis subiectis quoad aliquam rationem concedo, quoad omnem nego. Ergò visio beatifica non opponitur formaliter peccato quoad omnem rationem in se, vel in peccato repertam, concedo: Quoad aliquam, nego. Itaque visio beatifica formaliter directè opponitur peccato, quatenus istud includit erroneum & defectuosum dictamen rationis, secundum quod est in eodem subiecto proximo, in quo est visio: quatenus verò peccatum dicit formalem & malitiosam conversionem voluntatis in bonum commutabile, sic opponitur indirectè & causaliter, determinando videlicet voluntatem ad perenne exercitium amoris DEI super omnia. Rursus peccato habituali formaliter directè non opponitur, ut est actus intellectus sed ut est formaliter perfecta vita supernaturalis, praesuppositivè & essentialiter connotans gratiam sanctificantem tanquam vitam radicalem in substantia animae. Unde patet

Respon-

responsio ad secundam probationem. Nam concessio antecedente nego consequentiam: eo quod visio beatifica ipsam gratiam vitam ex natura rei exigat, tanquam essentiali sui radicem.

15. Objicies tertio: Non obstante, quod actuale auxilium gratia sit impossibile cum actu odii, nihilominus stat cum ipso potentia ad odium: dicendum ergo etiam, non obstante quod visio beatifica sit intrinsece impossibilis cum peccato, non ideo destruit potentiam peccandi.

Respondeo negando consequentiam; non enim adaequata ratio, cur visio ab intrinseco tollat potentiam peccandi, est ejus impossibilitas cum peccato, sed quia formaliter tollit omnem errorem practicum, & indifferentiam iudicii representantis aliquod objectum amplectendum, quod sit irreferribile in DEUM. Econtra auxilium efficax non tollit istam indifferentiam iudicii, sed eadem relicta voluntatis libertatem modo liberæ naturæ consentaneo in actum redigit.

16. Objicies quarto. Non videtur impossibile, ut gratia habitualis suppleatur per auxilium actuale sicut actus fidei, quamvis sit vitalis vitalitate supernaturali, tamen potest elici à peccatore, in quo desinente gratia manet fides: demus ergo, quod DEUS per auxilium actuale intellectum peccatoris elevet ad sui visionem, macula peccati remanebit cum visione; quippe quæ non tollitur nisi per formam oppositam gratiæ sanctificantis, quam in hoc casu abesse supponimus.

Respondeo: visionem quantumvis transeuntem essentialiter præsupponere vitam gratiæ sanctificantis, quia est operatio perfectissima & ultima actualitas vitæ intellectualis supernaturalis, præsupponens unionem essentiali divinæ cum

intellectu Beati, eundem sub ratione speciei intelligibilis completis in actu primo, & determinantis ad actum secundum visionis: quæ cuncta supponunt naturam Beati per gratiam sanctificantem jam collocatam radicaliter in gradu & statu vitæ intellectualis supernaturalis, & participativæ divinæ. Infantia de fide non est ad rem; quia fides, tanquam prima inchoatio & remota dispositio ad vitam inchoativè divinam, potest esse inchoativè tantum ideoque imperfectè vitalis vitæ supernaturali: dum e contra visio seu consummata perfectio vitæ supernaturalis debet esse perfectè & consummativè vitalis.

Objicies quinto. Si DEUS potest Beati injungere præceptum de aliquo actu (v. g. custodia hominis) liberè implendo, tunc Beatus potest peccare: sed DEUS hoc potest: ergo & Beatus potest peccare. Sequela probatur. In illâ hypothesi, quæ Beatus ex divino præcepto liberè custodiret hominem, posset etiam non custodire, sed non custodiendo peccaret, ergo posset peccare.

Respondeo: admittens possibilitatem talis præcepti, nego sequelam; ad cuius probationem vel nego consequentiam, quia fit transitus à sensu diviso posito in majori, ad sensum compositum in minori. Vel distinguo maj. posset non custodire tò non custodiendo accipiendo præcivè & pro sensu diviso præcepti, concedo: accipiendo privativè, neg. maj. Sed non custodiendo peccaret, accipiendo non custodiam privativè & pro sensu composito præcepti, concedo, accipiendo præcivè & pro sensu diviso præcepti, nego min. & consequentiam. Sed de hoc ex instituto in Tract. de Incarnatione, ubi de merito & impeccabilitate Christi agitur.

## ARTICULUS III.

### *An Beatitudo sit ab intrinseco inamissibilis?*

#### SUMMARI A.

1. Doctrina fidei contra Origenem.
2. Visionis intrinseca inamissibilitatis deducitur ex eius virtute satiatiavâ.
3. Et iudicativa.
4. Quomodo differant visio perpetua, & non perpetua.
5. Visioni non repugnat anxietas circa partem beatitudinis accidentalem; bene circa essentialem.
6. Visio beatifica debet per se & non ratione alicujus extrinseci satiari appetitum.
7. An ex inamissibilitate sequatur indestruibilitas visionis?
8. Responsio quorundam de physica indestruibilitate.
9. Impugnatur.
10. De essentia visionis est, ut videat se duraturum in æternum.
11. Perpetuitas est prædicatum essentiali Beatitudinis.
12. Denominatio beatitudinis contingenter prædicatur de creaturâ.
13. Responsio ad difficultatem.
14. Instantia depellitur.

15. Iudicium virtuale visionis est inamissibile.
16. Necessitate consequenti DEUS Visionem beatificam tenetur conservare in æternum.
17. Alicujus creaturæ visio in divinâ essentia est necessaria.

#### §. I.

##### *Adstruitur inamissibilitas intrinseca.*

PERPETUITATEM & INAMISSIBILITATEM beatitudinis fides docet declarata in Concil. Lateran. c. firmiter. de Sum. Trin. contra Origenem lib. I. periarth. c. 5. affirmantem, nec damnatorum supplicia, nec beatorum præmia æternum duratura. Illam perspicuis verbis tradit S. Script. cum Math. 25. Jo. 22. Petr. 5. appellat vitam æternam gaudium, quod nemo tollet à nobis, hereditatem, & coronam incorruptibilem, incommutatam, inmarcescibilem. Nullo enim modo inquit August. 15. de Trin. c. 8. esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna. Verum ut prius de impeccabilitate, ita nunc controvertitur

## §. III.

## Proponitur difficultas de indestruibilitate visionis.

Hinc tamen emergit non levis difficultas: quomodo destruitur intrinseca visionis beatæ componi possit cum intrinseca inamissibilitate, h. e. ipsa indestruibilitate ipsius: nec enim aliter beata visio, quam sui destructione amitti potest. Porro visio beata esse intrinseca & simpliciter destruitur, videtur deduci ex communi consensu PP. & Theologorum docentium contra Ariagam disp. 15. phyl. se. 2. Omnem creaturam esse ab intrinseco destruitur & defectibilem, ut insinuat Sap. 11. *Quomodo aliquid posset manere, nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset conservaretur?*

Cujus Ratio est: Quod rerum conservatio sit earundem continuata productio: ergo, sicut implicat, creaturam, quæ essentialiter est ens ab alio, & contingens secundum existentiam, habere intrinsecam necessitatem essendi in fieri & produci: ita similiter implicabit, ut habeat intrinsecam necessitatem essendi in conservari: & sicut cum producitur, existentia ipsi contingenter convenit, ita contingenter convenit, dum conservatur. Vide, quæ pro hac sententia doctè & fuse proponuntur à Magnif. D. P. Benedicto Pettschacher in thes. de ab. hum. th. 4. concl. 3.

Existimant nonnulli Thomistæ, se huic difficultati satisfacere, si dicant: visioni beatæ convenire ab intrinseco indestruibilitate physicæ ex principiis intrinsecis, correspondentem ordinariæ potentia DEI, quemadmodum & animæ rationali, & Angelis, & cælis convenit, præsertim cum juxta alibi dicta, visio beata mensuretur æternitate participatâ: Non autem convenire intrinsecam indestruibilitatem, aut indestruibilitatem logicam ab extrinseco correspondentem potentia DEI extraordinariæ, quæ sola repugnat creaturæ.

Contra quam tamen responsum facere videtur primò. Quod, juxta hunc dicendi modum, de ratione visionis beatæ tantum foret radicalis & exigitiva perpetuitas, h. e. connaturalis exigentia & inclinatio ad sui perpetuitatem, orta ex principiis intrinsecis ipsius visionis: sed hæc radicalis perpetuitas non sufficit, primò, quia etiam visio transeunte communicata connaturaliter habet hanc exigentiâ, & tamen quia per extraordinariâ DEI potentiam actu perpetuatur, ideo non beatificat videntem. Et certe quis neget, majorem indestruibilitatem esse de ratione beatitudinis, quam quæ conveniat Angelo, animæ rationali, celo? sed indestruibilitas memorata est his omnibus communis. Secundò. Non satis est, quod beatitudo certificet de potentia intrinsecâ suæ æternitatis & non amissionis, sed debet etiam certificare videntem de actuali sua æternitate, & non amissione, aliâ enim non omnimodè depellit omnem formidinem & anxietatem; siquidem stante inclinatione & aptitudine connaturali ad perpetuitatem, adhuc potest per absolutam DEI potentiam destrui, prout de visione transeunte dictum est. & sicuti stante connaturali exigentia & aptitudine accidentis ad inhaerendum in subiecto, potest tamen actualis inhaerentia destrui. Unde

E

Contra

de inamissibilitate, an illa beatitudini ab intrinseco, & ex ejus naturâ, an solum ab extrinseco favore, & gratiâ DEI voluntate proveniat? *contra Scotum in 4. dist. 49. q. 6.*

CONCLUSIO. Beatitudo est ab intrinseco inamissibilis. Ita S. D. hic q. 5. a. 4. in c. Ratio est primò. Beatitudo ab intrinseco, & ex sua essentia est forma perfectè quietans & satians appetitum naturæ rationalis: sed nisi ratione sui & ab intrinseco esset inamissibilis, etiam ratione sui & ab intrinseco non satietaret & quietaret appetitum. Ergo nec foret beatitudo. Minor proponitur: Appetitus rationalis non solum intendit possessionem Summi Boni, sed etiam possessionis securitatem, quâ non habita est constitutus in anxietate & formidine illam amittendi: ergo forma, quæ ratione sui & ab intrinseco habet latere & quietare appetitum, debet ab intrinseco, & ratione sui afferre securitatem de non amittenda Summi Boni possessione; quod non facit, nisi secum afferat suam intrinsecam inamissibilitatem.

Ratio est secundò. Tunc beatitudo est ab intrinseco inamissibilis, quando est de ipsius essentia, ut judicet, se in perpetuum duraturam: sed est. Ergo. Major probatur. Implicat, ut iudicium beatitudinis sit falsum. Ergo si est de essentia beatitudinis, ut judicet, se perpetuo duraturâ, hoc ipso est de essentia ipsius, ut in perpetuum duret. Minor etiam probatur. Beatitudo formalis consistens in actu visionis intellectualis judicativo, virtualiter latiat per modum iudicii, nisi judicet se perpetuo duraturam, cum aliâs relinquat locum formidini suæ amissionis. Ergo.

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

1. Dices primò. Visio perpetua & non perpetua sunt ejusdem rationis; ergo, si perpetua abbeatificandum sufficit, sufficit etiam non perpetua.

Respondeo. Sunt ejusdem rationis in ratione visionis & operationis, concedo; in ratione quietantis & beatificantis, nego. De quo statim infra.

2. Dices secundo. Non est de ratione beatitudinis, ut depellat omnem anxietatem; aliâs Christus Dominus summâ pressus anxietate, non fuisset vere beatus. Ergo etiam non est de ratione beatitudinis, quod sit inamissibilis. Consequenter, quia hanc assignamus rationem inamissibilitatis, quod aliâs beatitudo non pelleret omnem anxietatem.

3. Obje. tertio. Sufficenter ex parte Beati tollitur omnis formido & anxietas, si is cognoscat suam visionem fore perpetuam; sed hoc fieri potest, si Beatus cognoscat decretum divinum de perpetuandâ visione, tamen si visio beata ab intrinseco non afferat hanc perpetuitatem: ergo tamen si visio beata non sit ab intrinseco inamissibilis, adhuc sufficenter tolli potest omnis formido & anxietas.

Respondeo. Tollitur illo casu omnis formido per se, & ex vi beatitudinis, nego: per accidens, concedo. Est autem beatitudini essentialis, satians perfectè appetitum, & consequenter per se debet omnem oppositam formidinem depellere.



*Contra* est secundò. Prædicata essentialia ne quidem logicè & per absolutam DEI potentiam àb essentiâ separari possunt; sed inamissibilitas sumpta pro perpetuatione durationis est essentialia prædicatum beatitudinis: ergò nec per absolutam potentiam à beatitudine separari potest. ergò beatitudo nec per absolutam potentiam est destruibilis. Minor partim fuit ostensa, partim ex subiiciendis constabit.

## §. IV.

*Satisfit propositæ difficultati.*

10. **A** Nequam propositæ difficultati respondeam, prænotandum primò. De essentiâ visionis beatificæ quâ talis esse, ut repræsentet se duraturam in æternum, quod sit, in quantum in Divina essentiâ repræsentat decretum, quo DEUS decrevit, se beato communicare per totam æternitatem, sicque virtualiter reflectitur supra seipsam. Hæc videtur esse mens expressa S. D. hic q. 5. a. 4. in c ubi dicit: *Requiritur igitur ad veram beatitudinem, quòd homo certam habeat opinionem, bonum, quod habet, nunquam se amisurum.* Et ratio sæpius insinuata est, quòd de essentiâ visionis beatificæ, quâ talis, est, ut ex propria ratione sit depulsiva omnis anxietatis, atque perfecta possessio summi boni; sed tunc tandem est depulsiva omnis anxietatis & perfecta possessio summi boni, quando omnimodè certificatur de summi boni possessione, nunquam amittenda, adeòque de sui perpetuitate, æterna Duratione, ergò. Major est D. Augustini loco supra cit. dicentis: *Vita æterna beatissima esse non potest, nisi de sua fuerit æternitate certissima.* Minorem habet idem S. P. paulò post ita loquens: *Etiã ipse justus non vicit, ut vult, nisi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi non possit, eique sit certum, ita esse futurum.*

11. **P**re-notandum secundò. Perpetuitatem esse prædicatum essentialia beatitudinis perfectæ, ne quidem diviniùs dispensabile; Sublatâ quippe perpetuitate, imò & certificatione ipsius, secundum hætenùs dicta, appetitus & voluntas omnimodè contenta, quieta, & satiata esse non potest, unde remota perpetuitate, beatitudo esset & non esset talis.
12. **P**re-notandum tandem tertio. Denominationem & prædicatum beatitudinis nulli creaturæ ex principiis ipsius intrinsicis convenire posse, atque addè esse beatam & beatificam, de ipsâ visione DEI non nisi contingenter prædicari: quia ex opposito manifestè sequeretur, quòd aliqua creatura esset ab intrinseco destruibilis etiam per absolutam DEI potentiam, quod in propositione difficultatis sup. n. 4. dici non posse, rectè probatum est. Constat etiam, aliquam visionem DEI (qualis est, quæ è speciali DEI privilegio quibusdam sanctis viatoribus probabiliter fuit communicata,) transeunter communicatam, non fuisse beatam, adeòque hoc prædicatum à visione esse separabile quamvis intèrè à inficiandum non sit, visionem DEI radicaliter saltem ex natura rei esse beatificam; eò quod per essentiam sit adeptio & affectio summi boni. His positis,
13. **R**espondeo, visionem beatificam esse àb intrinseco destruibilem, si formaliter & in sensu reduplicativo sumatur, quatenùs est beatifica:

sin verò sumatur materialiter, & in sensu specificativo secundum physicam & creatam entitatem visionis, quæ est beata, sic esse ab intrinseco ad modum cujuscunque alterius creaturæ, destructione Logicæ per subtractionem divini conservativi concursus, non physicâ, ex principii intrinsicis ortâ, destruibilem. *Rationem dubitandi*, quòd omnis creatura sit intrinsece destruibilis, distingo: est intrinsece destruibilis ratione suæ intrinsicæ entitatis, concedo; ratione formæ cujuscunque àb extrinseco sibi contingenter superadditæ, nego. Nam beatitudo est formalis denominatio, visioni beatificæ per extrinsecum DEI decretum, quo illam gratiò ad statum beatificum elevat, contingenter superaddita.

*Dices*: etiam beatitudo est forma creata, & sic visio beatifica quâ talis esse quid creatum: ergò adhuc sequitur, aliquam creaturam esse ab intrinseco destruibilem. *Resp.* est forma creata subjective (quatenus est participata beatitudo) transeat; objective, nego; quia pro objecto habet essentiam divinam & in illa decretum de perpetuâ sui communicatione.

*Instabis*. Etiam visio in esse visionis est objective infinita, quia terminatur ad essentiam DEI clare visam, nec tamen est intrinsece destruibilis. *Resp.* terminatur ad essentiam divinam, ut summum bonum præcisè adeptum, concedo; ut summum bonum inamissibiliter adeptum & possessum, nego; hoc enim ipsi convenit præcisè quatenùs est beatifica.

## §. V.

*Corollaria ex dictis.*

**I**nferes ex dictis primò. Judicium virtuale visionis beatificæ, quo se judicat æternam duraturam, esse intrinsece infalsificabile. *Primò*. Quia si esset falsificabile, visio beatifica quâ talis non esset simpliciter indestruibilis; sed hoc est falsum ex dictis, ergo. *Secundò*. Quia fides est intrinsece infalsificabilis, ergò multo magis visio: quæ de indestruibilitate possent objici, solves ex dictis.

*Inferes secundò*. Non posse à DEO productionem ut beatificam, quin DEUS decretum eandem conservare in æternum, ique decretum videnti manifestet. *Ratio primi* est: quia alias visio esset & non esset beatifica, utpote destruita omnimodè certificatione suæ perpetuitatis. *Ratio secundi* est: quia inamissibilitas visionis beatæ est inamissibilitas cognita & iudicata, cum visio non possit videntem aliter adcertare & certificare de suâ inamissibilitate nisi modo cognoscitivo & enuntiativo; sed nisi manifestaretur decretum divinum de suâ conservatione, illa inamissibilitas non esset cognita & iudicata, cum decretum, sicuti Beato est ratio videndi alia creata, ita maximè suam visionem, ejusque perpetuitatem.

*Inferes tertio*. Licet absolute dari possit visio divinæ essentia in tam tenui gradu, ut nulla ex creaturis tam actualibus quam possibilibus distinctè & determinatè appareat, secundum ea, quæ dixi in disp. de DEO, cap. 6. §. 3. tamen visionem beatam dari non posse, quin aliquam

quam creaturam, videlicet seipsam in divinâ essentia conspicit, siquidem ex hactenus dictis est essentiale visioni quâ beata, ut sit in se virtualiter reflexa, seque iudicet duraturam in æternum. Neque hinc sequitur, aliquid creati admiscen-

dum fore primario objecto visionis, sed tantum objecto secundario, quamvis tantâ necessitate, ut nisi perpetuas visionis exhiberetur, nec divina essentia esset actualiter beatitudo objectiva, nec visio formalis. Patet ex dictis.

## ARTICULUS IV.

## Quale sit gaudium &amp; fruitio Beatorum?

## SUMMARIUM.

1. Quid & quomplex sit gaudium, vel delectatio.
2. Amor amicitie & concupiscentie in Beatis non distinguuntur.
3. Gaudium Beatorum ab habitu charitatis.
4. Cur in hac vita amor concupiscentie pertineat ad virtutem spei?
5. Objectum primarium & directum gaudij est solus DEUS.
6. Dilatur infantia de amore proximi.

## §. I.

## Sine delectatio Beatorum ab habitu charitatis?

**Notandum primo.** Quod omnis Inclinatio in bonum, illius boni obtentu & possessione quietatur. Sicut ergo ad motum & inclinationem lapidis quies sequitur, quamprimum ille pervenit ad suum centrum, ita cum natura rationalis possidet suum bonum & finem, quam desideravit, gaudet & delectatur de illo; quæ delectatio si sit de fine ultimo, fruitio nominatur. Hoc in Beatis est duplex, velut & ipse amor Summi Boni: nam amorem amicitie seu benevolentie, quo DEUS amatur ut in seipso & sibiipsum summè bonus consequitur gaudium & delectatio de bono divino ut est bonum ipsius DEI: & exprimitur per illa verba *Apoc. 19. Quoniam regnavit Dominus DEUS noster omnipotens, gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei.* Amorem vero concupiscentie, quo amatur DEUS, ut est summum bonum, & æterna felicitas ipsius Beati, sequitur etiam gaudium & delectatio de DEO, ut est summa satietas & beatitudo animæ, quod expresse Regius Pfaltres Pf. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.*

**Notandum secundo.** Utrumque amorem amicitie & concupiscentie in Beatis probabilis non distingui: Ratio est: Amor sequitur cognitionem: sed eodem actu visionis beatificæ repræsentatur Divina bonitas, ut est DEO, & ipsi Beato summè bona: ergo eodem quoque amoris actu voluntas poterit ferri in bonitatem divinam ut DEO & ut Beato bonam: ergo idem actus erit amor amicitie, & concupiscentie. Quæstio tamen est, à cuius virtutis habitu procedat delectatio, quæ sequitur amorem concupiscentie, & quodnam sit objectum primarium ac divinum ipsius: nam quod delectatio & fruitio consequens amorem amicitie pertineat ad virtutem charitatis divinæ, sicut & ipse amor, facile consentiant Authores.

**CONCLUSIO prima.** Delectatio Beatorum, quæ gaudet de DEO tanquam Summo Bono beatorum, P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

tificante & à se possesso, procedit ab habitu charitatis. Ita communis Thomistæ Ratio est. Eiusdem virtutis est amor & delectatio nata consequi amorem: sed amor concupiscentie, quo DEUS ut finis ultimus & objectum beatificum perfectè satians à Beatis diligitur, est actus charitatis Min. probatur, partim quia, ut not. 2. dixi, amor amicitie & concupiscentie in Beatis probabilis non distinguuntur; partim quia non est alia virtus Theologica assequibilis, cui debeat tribui amor concupiscentie. Non enim fidei, quæ est in intellectus, ut per se patet. Non spei, quia spes non manet in patriâ, partim quia tendentia ac via desinunt obtento termino atque spes est via & tendentia ad beatitudinem radicata in ipsâ fide: ergo obtentâ beatitudine & sublata fide spes desinit; partim quia ablato formali motivo virtus non subsistit: sed motivum & objectum formale spei, quod est obtinenda beatitudo seu bonum arduum auxilio divino assequibile, non manet in patriâ, ergo nec manet spes, quæ de causa Apost. Rom. 8. *Spes qua videtur, inquit. (h. e. cuius objectum non jam ut assequendum creditur obicere, sed ut possessum videretur clare,) non est spes, nam quod videt quis, quid sperat?*

Dices. Amor concupiscentie, quam habemus in viâ pertinet ad virtutem spei. Respond. negando consequent. Quia in hac vita amor concupiscentie est ipsum desiderium, quo beatitudinem appetimus tanquam bonum arduum & absens: atqui in patriâ cessat ratio desiderij, absentie, & arduitatis, unde beatitudo actum spei amplius terminare non potest.

## §. II.

## Quodnam objectum primarium delectationis?

**CONCLUSIO secunda.** Objectum immediatum primarium & divinum huius delectationis est ipse DEUS. Ratio est primò, Illud est objectum primarium & divinum tam amoris, quam delectationis, quod primario & directè per claram visionem repræsentatur ut summè amabile & delectabile: sed solus DEUS primario & directè sic repræsentatur, ut supra ex dictis de visione, ergo. Ratio est secundo. Objectum primarium & directum virtutis Theologicæ est quid divinum & increatum, prout ex instituto dicitur in Tract. de fide: sed amor & delectatio patriæ sunt actus virtutis Theologicæ, & quidem charitatis secundum dicta; ergo habent pro objecto primario & directo visionem & beatitudinem formalem, quæ est aliquid creatum; sed DEUM & beatitudinem objectivam, tamquam objectum increatum.

Dixi objectum primum & directum; sicut enim ipsa visio secundariè repræsentat seipsam, sic etiam amor concupiscentiæ & delectatio poterit secundariè & indirectè terminari ad visionem; quemadmodum spes istius vitæ secundariè fertur in adeptionem Summi Boni tanquam objecti primarii.

6. Dices: Etiam si actus primarius alicujus virtutis Theologicæ directè debeat terminari ad objectum increatum & divinum: non tamen necesse est, ut actus secundarius ita terminetur; sic enim dilectio hominis propter DEUM, quæ est actus secundarius charitatis, habet proximum pro objecto terminativo. Subsumo. Sed delectatio est actus secundarius charitatis: ergo nihil obstat, quò minus pro objecto directè & immediatè terminante habeat creatam visionem.

Respondeo dist. majorem: nisi ille actus in accipiendo objectum terminativum totaliter dependeat ab actu primario, concedo. Si totaliter ab

illo dependeat, nego: sed delectatio est actus secundarius charitatis, ita tamen ut totaliter ab amore concupiscentiæ, qui est actus primarius dependeat, concedo. Ut nõ totaliter dependeat, nego min. & consequentiam. Cum enim nullatenus possit esse delectatio, nisi de objecto, quod amatur: ideò necesse est, illud objectum directè objici delectationi, quod objicitur amanti: atqui amor concupiscentiæ in patria directè objicitur DEUS: ergo & delectationi. Ex quibus datur disparitas ad instantiam: qui amor proximi propter DEUM ab amore DEI dependet quidem in accipiendo objectum movum, cum utriusque sit idem motivum, dum DEUS propter se & proximus amatur propter DEUM, non verò accipiendo objectum terminativum, quia amor proximi non ita sequitur amorem DEI per modum proprietatis necessariè emanantis, sicuti delectatio & gaudium consequitur amorem boni possessi.

## ARTICULUS V.

### De consuetudinibus accidentalibus ad beatitudinem

#### SUMMARIUM.

1. Cur dotes assignentur anima beata?
2. Definitio dotes.
3. Numerus dotium.
4. Consistunt non in operatione, sed habitu.
5. Objecta auctoritas D. Thoma exponitur.
6. Cur gratia sanctificans non constituat dotem?
7. Cur dotes non sint in Angelis?
8. Neque in Christo?
9. Quid sit dos corporis?
10. Exponitur impassibilitas.
11. In quo consistat subtilitas.
12. Quid sit dos agilitatis?
13. Quid sit dos charitatis?
14. Dotes redundant ex gloria animæ.
15. Definitio aureole.
16. Ternarius aureolarum ostenditur.
17. Cur aureola non respondeat voluntaria paupertatis & obedientia?
18. Requisita ad aureolam virginitalis.
19. Corollaria inde deducta.
20. Requisita ad aureolam Martyrii.
21. Corollaria exinde deducta.
22. Requisita ad aureolam Doctoratus.
23. Aureola principaliter subjicitur in voluntate.
24. Christus non habet aureolas.
25. Nec Angeli.
26. Reunio corporum non pertinet ad essentialem.
27. Bene ad accidentalem & extensivam perfectionem beatitudinis.

#### §. I.

##### Exponuntur dotes anima beata.

NOTandum primò. Cum in æternâ beatitudine spirituale quoddam matrimonium in-catur inter animam & DEUM: ideò animæ tanquam sponsæ communiter à Theologis as-

signari quasdam dotes, per analogiam ad illam dotem, quæ in matrimonio carnali sponsæ assignatur partim in matrimonii solatium & eorum sublevationem, partim in ipsius sponsæ ornatum. Prout dicitur *L. Dotes ff. de jure dotum*. Notandum secundo. Dotem animæ à S. D. in 4. d. 49. q. 4. a. 1. sic definit: *Dotes ornatus anima, vita sufficiens, in æternâ beatitudine jugiter perseverans*. Ubi significantur tres condiciones ad rationem dotis requisitæ. Primò quòd conferatur à Christo Sponso vel totâ sanctissimâ Trinitate ad ornatum & jucunditatem animæ: neque enim ulla ibi sunt onera matrimonii, pro quibus sustinendis in matrimonio carnali dos tribui solet. Secunda est, ut conveniat in patriâ, seu beatitudine æternâ, quia tunc solum sponsa in domum sponsi introducit, sitque indissolubile matrimonium inter animam & Christum, quâ de causâ dicitur *Apoc. 19. Venerunt nuptia agni, & uxor ejus preparavit se, & datum est illi, ut cooperiret byssino splendens & candido*. Tertiò requiritur habitudo ad Sponsum Christum, quia debeat esse donum sufficiens ad suavem unionem cum Christo. His positis in numero dotium facile conveniunt Authores: potissima discrepantia reperitur in exponenda illarum entitate: dum alii volunt illas in actu, ut Vasquez & Martinet; alii in habitu, ut communiter Thomistæ; alii in utroque constituunt, ut Lorca hic disp. 22.

CONCLUSIO prima. *Tres sunt dotes anima beate, videlicet, visio, comprehensio, & fructio*. Ita Thomistæ ex *S. D. hic q. 4. a. 9.*

Ratio est: Illa dona sunt dotes animæ beate, quæ ita sufficiunt ad ornatum animæ, suavemque ejus unionem cum Christo, ut simul respondeant dotibus animæ justæ, quibus in hac

vita spiritualem attrimonium inchoatur, & ad futurum disponitur: sed tria sunt ejusmodi dona videlicet; visio, quæ respondet fidei, & tollit cognitionis obscuritatem; comprehensio, quæ succedit spei, & tollit ipsius anxietatem; & fructio, quæ respondet charitati, eique superaddit quietem in bono possessio.

**CONCLUSIO** secunda. *Dotes animæ non consistunt in operatione, sed in aliquo dono habituali: & quidem [1.] dos visionis in lumine gloriæ; quatenus est habitualis clarificatio intellectus, eundem proximè disponens ad intimam unionem cum divinâ essentiâ in ratione speciei intelligibilis: [2.] dos comprehensionis in eodem habitu luminis gloriæ quatenus fundante relationem præsentia ad DEUM seu bonum possessum: [3.] Dos verâ fructiois consistit in habitu charitativæ causantem beatificam fructioem.*

Ratio primæ partis ex S. D. in *Suppl. q. 95. a. 2. in e.* est: quòd nomine dotis non intelligitur ipsa unio & conjunctio cum DEO, sicuti neque in matrimonio carnali dotis nomine significatur copulatio ipsa matrimonii: sed dos significat ornatum & dispositionem animæ ad intimam unionem cum DEO: atque operationes beatificæ visionis & fructiois significant ipsam actualem unionem & conjunctionem cum DEO: ergò dotes beatæ animæ non in operatione, sed in aliquo habitu ad illam operationem disponente & inducente debent consistere.

Ex quo ceteræ partes conclusionis facilè sequuntur, nam sicuti actualis visio & comprehensio Summi Boni est actus ipse visionis, sic habitualis est lumen gloriæ, sub diversâ tamen formalitate: nam visio dicitur, quatenus clarificat intellectum, eumque proximè disponit ad unionem divinæ essentiæ sub ratione speciei intelligibilis: comprehensio verò dicitur, quatenus in anima causat relationem intimæ præsentia cum divinâ essentiâ seu bono possessio. Rursus: sicuti fructio actualis primaria est actus charitativæ seu amor tum benevolentia tum concupiscentia. Secundaria est delectatio consequens amorem, sic fructio habitualis nil est aliud, quam habitus charitatis, ex quo summa tum delectatio Summi Boni, tum delectatio de ipso promanet.

Dices primò S. D. hic q. 4. a. 3. animæ dotes explicat nominibus importantibus operationem, Rursus Loco cit. ad 2. dicit, quòd sicut ad voluntatem pertinet spes & amor, ita etiam comprehensio & delectatio. Ergò comprehensio non est lumen gloriæ.

Respondeo. Aliquando operationem exprimit per vocem significativam principii habitualis: ut cum actus voluntatis per *voluntas* in S. Scriptura frequenter exprimitur: aliàs verò è converso per nostram operationem significativam habitus exprimitur, eò quòd habitus connotent operationes à quibus significantur. Et sic in præsentibus per nostram operationem exprimentia significantur quid habituale. Ad secundum Respondeo primò, quòd secundum S. D. comprehensio ad voluntatem pertinet objectivè & terminativè, non autem subjectivè, h. e. quòd dos comprehensionis non sit intrinsecè re-

cepta in voluntate: sed quòd per ipsam Summum Bonum jam comprehensum fiat objectum voluntatis, & terminus amoris fructivi.

Respondeo secundò, comprehensionem ad voluntatem pertinere consecutivè, non formaliter, h. e. quòd jam suppositâ formali & intellectivâ comprehensione, etiam in voluntate resulter relatio præsentia ad DEUM, quæ non est ipsa dos animæ, sed eandem ex parte intellectus jam præsupponit.

Objicies secundò. Gratia sanctificans non constituit dotem in patriâ: quia illam anima etiam possidet in viâ. Ergò neque charitas, cum sit etiam communis viæ & patriæ.

Respondeo, negando causalem antecedentis: nam ratio, cur gratia sanctificans non constituat dotem, hæc est: quia in supernaturalibus se habet per modum naturæ & primæ radices supernaturalium bonorum; adeoque sicut in naturalibus natura nec dotem nec matrimonium constituit: sic neque gratia in supernaturalibus, sed utrique præsupponitur.

Colliges primò. Cur prædicta dona supernaturalia in Angelis non appellentur dotes, cum tamen æquè in ipsis, quàm in beatis animabus reperiantur: Quia nimirum dos dicitur habitudinem ad Christum tanquam sponsum: sed hæc dona in Angelis non dicuntur habitudinem ad Christum tanquam sponsum: nam sponsum cum sponsâ debet habere similitudinem naturæ, atque Angelici spiritus dissimilem habent naturam cum Christo.

Colliges secundò. Cur eadem dona, quamvis excellentissimè possessa à Christo, in ipso tamen non habeant appellationem dotis? Quia videlicet ipse est sponsum, & respectu suorum electorum non acceptor, sed dator bonorum supernaturalium.

## §. II.

*Dotes corporis gloriofi.*

Corporum reasumptionem, seu resurrectionem nem fides docet, in quâ iustorum corpora eadem quidem numero, ut erant in hac vitâ, accidentaliter tamen erunt longè perfectiora, omni nimirum defectu & deformitate absoluta, prout indicatur ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum &c.* Unde D. Aug. 22. de Civ. c. 19. *Non est macris, pinguibusque metuendum, ne ibi etiam tales sint, quales si possent, nec hic esse voluissent.* Nempe, cum ad multarum operationum sibi connaturalium exercitium anima corporis consortio indigeat, æquum erat, ad beatitudinem omni ex parte complendam etiam corpus animæ sociari, & quidem eò decore & perfectione instructum, quæ competunt animæ beatæ dignitati, & statui omnium bonorum aggregatione perfecto. Porro speciales illa corporum glorioforum perfectiones etiam à Theologis dotes nominantur, & communiter quatuor recensentur, videlicet, impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas, his versibus enumeratæ:

Clari, subtiles, agiles, impassibilesque,  
Omnes quadruplici gaudebunt dote Beati.

Rationem congruentiæ dat S. D. 4. contra gentes c. 86. Sicut anima beata elevatur ad gloriam

riam cœlestium spirituum, ita congruum est corpus Beati elevari ad proprietates cœlestium corporum; sed quatuor potissimum sunt proprietates corporis cœlestis; quod nempe sit clarum, impassibile, facillimè loco mobile, expers elementarium fœcum & impuritarum: ergo corpus gloriosum quatuor istas proprietates participabit. Restat inquirere, in quo consistant enumeratae dotes corporis gloriosi. Unde

Quæres primò. In quo consistat impassibilitas? Respond. In omnimodâ exclusionem cuiuscunque læsivæ, aut corruptivæ qualitatis causatâ ex perfectâ subiectione corporis ad animam. Sicut enim radix corruptivæ alterationis est imperfecta subiectio materiæ ad suam formam, ita vice versâ radix incorruptionis est perfecta subiectio materiæ ad formam: uti patet in corporibus cœlestibus. Hanc impassibilitatis dotem indicavit Jo. Apoc. 21. *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

Quæres secundò. Quid sit dos subtilitatis? Respond. Esse immunitatem ab omni crassitie terrenæ concretionis, & fœcibus operationum valdè materialium vitæ vegetativæ, quæ in nostro mortali corpore reperiuntur: quâ de causâ corpus gloriosum Apostolus *corpus spirituale* appellavit 1. Cor. 15. dicens: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Neque, tamen ut quidam malè existimant, ex dote subtilitatis habebunt corpora gloriosa virtutem corpora solida penetrandi, ut docet S. D. in 4. dist. 44. q. 2. a. 2. Siquidem subtilitas non auferit à corpore glorioso quantitativam dimensionem, ex quâ impenetrabilitas, firisque distinctio connaturaliter promanat. Unde penetratio, quâ gloriosum Christi corpus clauso sepulchro exivit, per clausas fores intravit, non ad dotem subtilitatis, sed specialem & miraculosam operationem divinæ virtutis est referenda; ex quâ pariter clauso virginis utero corpus ipsius passibile & mortale exivit.

12. Quæres Tertiò. Quid sit dos agilitatis? Respond. Esse promptissimam facilitatem, quâ ad omnem motû localem voluntati & potentie executivæ Beatorum sua corpora obediunt, quæ significata reperiuntur 11. 40. *Assumens pennas ut aquila, currens & non laborabunt &c.* Sap. 3. *Tanquam scintilla in arundinetis discurrent.* Dices: corpora Beatorum non amittent gravitatem; siquidem erunt etiamnum mixta: atqui gravitas impedit corpora, ne pro lubitu sursum moveri possint. Respond. Etiam si aliqua gravitas (longè tamen minor quàm nostrorum corporum) in corpore glorioso fortè in actu primo remaneat, gravitationem tamen in actu secundo per dotem agilitatis impeditur, quotiescunque beato placuerit moveri motu levitationis.

13. Quæres quartò. Quid sit dos claritatis? Respond. Esse lucidam qualitatem ejusdem rationis cum luce solis, quia præstat eundem effectum formalem. Illam exhibuit Christus clarificatus in monte Thabor, quando *facies ejus splenduit sicut sol.* Matt. 17. Iplius quoque mentio fit Sap. 3. *fulgebunt iusti sicut sol &c.* & 1. Cor. 15. *Seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria &c.*

Sed erintne Beatorum corpora etiam transparentia & perlucida, ita ut non minus in profundo

luceant, quàm in superficie? Respond. affirmat. & imò colligitur ex illo Job. 28. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* In quæ verba S. Greg. 18. Moral. c. 31. *patebit, inquit, corporalibus oculis ipsa etiam corporis humani harmonia, h. e. interna constitutio.* Idque videtur convenientius tam pro ornatu & pulchritudine corporum, quàm pro voluptate aspicientium. Neque refert, quòd corpora gloriosa sint servatura suum colorem: neque enim color præcisè impedit transparentiam, aut causat opacitatem, cum reperiatur vitra & gemmæ coloratæ, quæ tamen transparent.

Quæres quintò. Unde promanent dotes corporis gloriosi? Respond. Promanare ex gloria animæ, per ejusdem redundantiã in corpus. Ita S. D. 4. cont. gentes. c. 86. & ratio congruentiæ est, quòd ex gratiã tum via tum patrie promanent virtutes infusæ morales, quibus corporeæ vires subijciuntur imperio rationis: ex gratiã innocentie promanabat donum integritatis, quo appetitus sensitivus contineatur sub obedientia partis rationalis. Ergo similiter ex gratiã consummata promanant perfectiones propriæ statui corporis gloriosi. Nec refert, quòd istæ sint materialis; gratiã verò sit qualitas spiritalis: nam etiam potentia corporeæ & sensitivæ ex animâ rationali, quantumvis spiritali relictant in corpore.

### §. III.

#### Aureole Beatorum,

Quæres primò. Quid sit aureola? Respond. 16. Ex S. D. in 4. dist. 49. q. 5. a. 5. *esse privilegium premium privilegiate victorie respondens.* Sive: accidentale gaudium de operationibus à se factis, quæ habent rationem excellentis victorie. Explicatur. Sicuti præmium essentiale vilionis beatificæ Corona appellatur; Trin. 4. quia tribuitur legitime certantibus, post superata mortalis vitæ certamina; sic etiam gaudium & præmium aliquod accidentale correspondens alicui speciali pugne & victorie, corona nominatur, sed tum ad distinctionem Coronæ seu præmij essentialis appellatur nomine diminutivo Aureola, hoc est, quasi Corolla aurea. Contra Occasionem Theologi sumpserunt ex c. 15. Exod. ubi postquam DEUS præcepit mensam tabernaculi ornari coronâ aureâ, præcepit eidem supponi aliam coronam aureolam, ubi Glossa in sensu anagogico per primam coronam auream intelligit præmium essentiale Beatorum, per aureolam verò præmium accidentale.

Quæres secundò. Quæ & quot sint aureolæ? Respond. Tres esse aureolæ, videlicet, Virginitatis, Martyrij, & Doctoratûs.

Ratio est: Tot sunt aureolæ, quot sunt præmia & coronæ accidentales de aliqua operatione heroicâ habente rationem excellentis victorie, si etiam in certo aliquo pugne genere, præstantissimæ, sed ejusmodi victorie est triplex: ergo etiam est triplex aureola. Min: probatur: Pugna spiritalis est triplex, juxta triplex genus appetitus, nimirum concupiscibilis, irascibilis, & rationalis. Prima est contra carnem, altera contra mundum, tertia contra Dæmonem. Sed contra carnem

sem perfectissima victoria est perpetua virginitas, contra mundum, martyrium, contra Dæmonem doctoratus. Ergo. Min. Explicatur & probatur. In genere appetitūs concupiscibilis non est major hostis quam concupiscentia carnis, contra quam quoditiana pugna, rara victoria. Ergo etiam in hoc genere præstantissima victoria competit virginitati, quæ triumphat de concupiscentia carnis.

Secundò. In genere appetitūs irascibilis non est major victoria contra superbiam mundi terrentis quam in illo heroico actu fortitudinis, quo maximum malum tollatur ad persistendum in bono virtutis: sed non est majus malum secundum inclinationem appetitūs irascibilis propullandum, quam ipsa mors: ergo in illo actu quo mors ipsa tollatur ex motivo retinendæ virtutis, est perfectissima hujus generis victoria. Tertiò. In genere appetitūs rationalis contra Dæmonem, illa est perfectissima victoria, quæ non tantum proprius, sed etiam alienus intellectus perficatur in agnitione divinæ veritatis, ut exinde superet errores, quibus dæmon intellectum inficere, & his mediantibus voluntatem nititur avertere ab ordine ultimi finis: sed hæc victoria obtinetur per Doctoratum. ergo.

Dices. Votum perpetuæ paupertatis, quo superatur amor divitiarum, nec non victoria propriæ voluntatis per votum obedientiæ, sunt etiam actus heroici habentes rationem excellentis victoriæ: ergo etiam ipsis debetur aureola, & consequenter non sunt tantum tres aureolæ.

Respondeo. Etiam si istis quoque heroicis operationibus & victoriis in cælo speciale gaudium præmii que respondeat, hoc tamen non dicit aureolam, quo neutra victoria est in suo genere difficillima & præstantissima: nam sicut concupiscentia carnis longè major est, quam concupiscentia divitiarum; ita etiam victoria, quæ omnis illa carnis concupiscentia superatur per virginitatem perpetuam, in genere pugnæ contra appetitum concupiscibilem major & perfectior est, quam victoria, quæ per votum voluntariæ & perpetuæ paupertatis superatur amor divitiarum. Rursus sicut in genere pugnæ contra appetitum irascibilem fugientem difficultates occurrentes in prosecutione virtutis, bonum virtutis conjunctum cum jacturâ vitæ, & tolerantia tormentorum usque ad mortem, est bonum magis arduum quam sit bonum virtutis & conformatio cum divinâ voluntate conjuncta cum abnegatione propriæ voluntatis; ita etiam victoria, quæ per martyrium obtinetur contra terrores mortis impediendes à bono virtutis, est major quam victoria propriæ voluntatis per obedientiam: quamvis & ista propter quandam similitudinem cum priori spirituale martyrium appellatur à sanctis.

Quæres Tertiò. Quid requiratur ad obtinendam aureolam Virginitatis? Respond. requiri perpetuam carnis incorruptionem ab omni voluntariâ delectatione venereâ non tantum in actu, sed etiam in proposito. Ita deducitur è D. Augustino Lib. de virginit. c. 13. ita definiente virginitatem, quod sit *in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio*, h. e. propositum perpetuè se continendi.

Unde sequitur primò. Filiam Jephthe quæ 19. flevit suam virginitatem, & Abelem, qui si supervixisset, habuisset præceptum nubendi, SS. quoque Innocentes Martyres pro Christo occisos non potiri aureolâ virginitatis; siquidem non habuerunt propositum perpetuæ continentia.

Sequitur Secundò. Et si Beatissima Virgo caruerit omni inclinatione fomicis, non tamen carere aureolâ virginitatis: quia quod ipsa pugnam & rebellionem carnis non senserit, evenit ex heroicâ præstantiâ gratiæ & virtutis: Atqui præstantiâ gratiæ & virtutis non tollit præmii, sed auget.

Sequitur Tertiò. Frigidus & eunuchos non desitui aureolâ virginitatis, si habeant voluntatem, etiam si forent potentes, nihilominus servandi virginitatem: tum quia impedimentum per accidens obortum non impedit actum virtutis; tum quia etiam isti possunt tentari à dæmone ad actus venereos.

Sequitur quartò. Quamvis per interruptionem interni propositi servandæ virginitatis non ita perdat aureolâ virginitatis, quin per poenitentiam & renovationem propositi conjunctam cum externâ corporis incorruptione in fine vitæ recuperari possit: ab eo tamen, qui voluntariè corporis corruptionem est passus, recuperari non posse: siquidem essentialis materia, circa quam virginitas versatur, est voluntaria corporis incorruptio, quo sensu Hier. dixit, *Cum DEUS omnia possit, virginem tamen lapsam reparare non posse.*

Sequitur quintò. Involuntariam aut voluntariam corporis corruptionem aureolâ Virginitatis non obesse: Unde D. Lucia ad Tyrannum dixit: *si me invitam jusservis violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* h. e. per toleratam violentiam novum addetur præmii.

Quæres quartò. Quænam sint requisita ad obtinendam aureolam martyrii?

Respond. primò. Requiritur mors actualiter secuta, vel naturaliter secutura, nisi fuisset divinitus impedita, ut in S. Joanne Evangelista, qui in ferventis olei dolium immisus ab Ecclesiâ ut Martyr colitur, quamvis inde illæsus exierit. Ratio est, quod prærogativa desumitur ex verbis Christi: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.* Sed animæ h. e. vitæ propter Christum perditio significat mortem. Secundò requiritur, ut quis puniatur propter fidem vel aliam virtutem relata ad fidem: non enim tantum pœna, inquit D. August. *sed causa martyrem facit.* Et deducitur tum ex superiori textu tum ex altero Matt. 10. *Qui constiterit me curam hominibus, constetor & ego eum coram Patre meo.* Quæ Christi sive verbalis, sive realis & ipso opere exhibita confessio significat aliquam protestationem fidei in Christum, sive explicitam & directam, sive indirectam & implicitam, quando mors sequitur ex motivo virtutis supernaturalis è revelatione divinâ & fidei assensu derivato. Tertiò requiritur in adulto voluntas saltem habitualis moriendi propter fidem, siquidem de viâ ordinariâ nulli adulto confertur gratia secundum proprii arbitrii dispositionem, prout latius deduxi in Tr. de sacr. bapt. Hinc